



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 2. Utrùm Pelagiani etiam tandem aliquando admiserint interiorem gratiam inspirationis, seu interiorem gratiam ex parte voluntatis, qua scilicet gratia Deus immediatè afficiat & corroboret ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

Dices. S. Augustinus libro de gratia Christi c. 7. ex verbis Pelagii supra relatis sic concludit: *Hoc est ergo gratiam Dei ponere in lege atque doctrina.* Ergo ex verbis illis probare non potuimus à Pelagio admittam esse internam gratiam illuminationis. R. neg. conseq. *Ad ant. dico.* Sanctum Augustinum ita loqui, non quòd Pelagius verbis relatis exprimat tantum externam legis & doctrinæ gratiam, sed quia admittit eam tantum gratiam, quæ interius ostendit, quid agendum, quidve omittendum sit, nec ad agendum, vel omittendum libero arbitrio contra rebellantis concupiscentiæ motus vires interius suppeditat, quæque proinde benè reducitur ad gratiam legis & doctrinæ, præter quam, siue forinsecus, siue etiam intrinsecus per internam illuminationem proponatur, ulteriorem intrinsecam contendit S. Doctor esse constituendam, nempe gratiam inspirationis, quæ intimè & immediatè afficitur libero arbitrio, atque contra reluctantem concupiscentiam corroboratur.

Nota. Pelagianos internam illuminationis gratiam cum duplici corruptela admisisse. Dicebant enim, 1. necessariam non esse, nisi ad facilius operandum. Nam teste sancto Augustino libro de heres. 88. Pelagius de interna illuminationis gratia dicebat, *ad hoc eam dari hominibus, ut quæ facere per liberum subeantur arbitrium, facilius possint implere per gratiam.* Ex qua Pelagii doctrina sic observat S. Augustinus: *Dicendo utique ut facilius possint, voluit credi, etiamsi difficilior, tamen posse homines sine gratia divina facere iussa.* Gratiam verò ad bonum operandum, malumve fugiendum sicut oportet, simpliciter necessariam non aliam agnoscebant præter liberum arbitrium, quod Deus non per gratiam inspirationis, sed per solam legis & doctrinæ, modò forinsecus, modò etiam intrinsecus proposita, gratiam adjuvat ad facilius posse. Nam sic pergit sanctus Doctor: *Illam vero gratiam Dei, sine qua nihil possumus facere, non esse dicunt, nisi in libero arbitrio, quod nullis suis precedentibus meritis, ab illo accepit nostra natura, ad hoc tantum ipso adjuvante per suam legem atque doctrinam, ut discamus quæ facere, & quæ sperare debeamus.*

Dicebant 2. internam illustrationis gratiam bonis naturæ meritis obtineri posse. Testatur sanctus Augustinus libro de gratia & libero arbitrio, cap. 14. *Cum fuerint, inquit, convicti, non defensores, sed inflatores & precipitatores liberi arbitrii, quia neque scientia divine legis, neque natura, neque sola remissio peccatorum est illa gratia, quæ per Jesum Christum Dominum nostrum datur, sed ipsa facit ut lex impleatur, ut natura liberetur, ne peccatum dominetur, ad hoc se convertunt, ut quocumque modo conentur ostendere, gratiam Dei secundum merita nostra dari.* Ex quibus verbis habemus Pelagianos tandem aliquando confessos esse veram & internam Christi gratiam saltem ex parte intellectus, hoc est, internam & supernaturalem illustrationem, sed quam unusquisque nostrum posset bonis naturæ meritis promereri: tentiebant enim nos ex solis arbitrii viribus verbi gratia, orare posse sicut oportet ad gratiam illam impetrandam, ut de Pelagio expressè testatur sanctus Augustinus lib. de gratia Christi, cap. 41. *Ita ut, inquit, sanctus Doctor, ipsas quoque orationes, ut in scriptis suis aperitissime affirmat, ad nihil aliud adhibendas opinetur Pelagius, nisi ut nobis doctrina etiam divina revelatione aperiat.*

ARTICULUS II.

Utrum Pelagiani etiam tandem aliquando admiserint interiorem gratiam inspirationis, seu interiorem gratiam ex parte voluntatis, quæ scilicet gratia Deus immediatè afficiat & corroboret voluntatem, eique vires tribuat ad faciendum id, quod faciendum esse cognoverit per internam illustrationem.

RESPONSIO.

Pelagiani nunquam admiserunt interiorem inspirationis gratiam, hoc est, interiorem illam gratiam, quæ voluntas immediatè afficitur & adjuvatur.

Prob. 1. Resp. De Pelagio, ex lib. de gratia Christi quem ad defendendam inspirationis gratiam contra Pelagium & Celestium scripsit S. Augustinus. Ex hoc autem libro habemus, 1. Pelagium tria in homine distinxisse, possibilitatem scilicet; voluntatem, hoc est, volitionem; & actionem, seu posse, velle, & esse, hoc est, agere: *Ecce, inquit S. Augustinus cap. 5. est totum dogma Pelagii quo tria ista, unum quod est posse, alterum quod est velle, tertium quod est esse, idest, possibilitatem, voluntatem, actionem, tanta subtilitate curavit distinguere, ut, &c.*

2. Habemus, Pelagium sensisse ex his tribus solam possibilitatem à Deo adjuvari, non verò voluntatem seu volitionem, aut actionem: *Scire quippe debemus, inquit S. Augustinus cap. eodem, quod nec voluntatem nostram, nec actionem divino adjuvari credit auxilio, sed solam possibilitatem voluntatis atque operis, quam solam in his tribus nos habere affirmat ex Deo: tantum hoc sit infirmum, quod ipse Deus posuit in natura; cetera vero duo, quæ nostra esse voluit, ita sint firma & fortia, & sibi sufficientia, ut nullo indigant ejus auxilio, & ideo non adjuvet ut velimus, non adjuvet ut agamus, sed tantummodo adjuvet ut velle & agere valeamus.*

3. Habemus, Pelagium hoc possibilitatis adiutorium constituisse tantum in lege & doctrina, quibus vocibus S. Augustinus comprehendit etiam virtutes & exempla Christi cum interna illustratione: *Hanc autem, inquit S. Doctor c. 6. naturalem possibilitatem, quam adjuvari Dei gratia confitetur Pelagius, non est hic apertum, vel quam dicat gratiam, vel quatenus ea naturam sentiat adjuvari: sed, sicut aliis locis, in quibus evidentius loquitur, intelligi potest, non vult aliud accipi, quam legem atque doctrinam, quæ naturalis possibilitas adjuvetur.*

4. Imò habemus, Pelagium nullibi confessum esse interiorem illam gratiam, quæ voluntas & actio immediatè adjuvantur, & quæ gratia inspirationis est: *Illos etiam, inquit S. Doctor cap. 34. quos in eisdem litteris, quas misit Pelagius ad sanctæ memoriæ Papatam Innocentium, libros suos vel scripta commemorat, legi præter unam epistolam, quam se brevem misisse ad sanctum Constantium Episcopum dicit; nec alienubi potui reperire, hanc eum gratiam confiteri, quæ non solum possibilitas naturalis voluntatis & actionis, quam dicit nos habere, etiamsi nec volumus nec agimus bonum, sed ipsa etiam voluntas & actio subministratio sancti Spiritus adjuvatur, idest, quæ libero arbitrio non solum ostenditur, quid volendum & agendum sit, sed etiam ad volendum & agendum vires subministrantur. Quod est, Pelagium nunquam confessum esse interiorem illam gratiam, quæ in illustratione simul & inspiratione consistit.*

Prob. 2. Resp. De Celestio, primario Pelagii discipulo, ex eodem libro de gratia Christi, ubi S. Augustinus cap. 30. testatur, se in Pelagii & Celestii scriptis, quæcumque legere potuit, nusquam invenisse eos confiteri gratiam, quæ non formaliter, sed efficienter justificamur, & quæ in interiori illustratione simul ac inspiratione, & potissimum in inspiratione consistit: *Istam quippe gratiam, inquit, quæ justificamur, idest, quæ charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus*

est nobis, in Pelagii & Celestii scriptis, quaecumque legere potui, nusquam eos inveni, quemadmodum confitenda est, confiteri. Cuius dicti rationem reddens S. Doctor pro Celestio, ait se in omnibus ejus scriptis non aliud invenisse, quam eum Dei gratiam, qua juvatur vel ad faciendum bonum, vel ad declinandum à malo, ponere in naturali voluntatis arbitrio cum lege & doctrina, modò scilicet forinsecus, modò etiam intrinsecus proposita, addeque eum non aliam præter naturale arbitrium voluntatis gratiam internam confiteri, nisi ad summum illustrationem, qua homini divinitus innoscitur bonum agendum, vel malum vitandum; nusquam verò confiteri internam inspirationem, qua homini suppeditantur vires ad faciendum id, quod norit esse faciendum, vel vitandum id, quod norit esse vitandum; imò expresse asserere, orationem ad hoc tantum necessariam esse, ut homini ostendatur, quid concupiscat & diligat, hoc est, ad hoc orationem esse tantum necessariam, ut homo per eam impetret illustrationis gratiam, quacumque liberi arbitrii vires sufficiunt ad concupiscendum & diligendum, quod in ordine ad salutem concupiscere & diligere oportet. Ex his manifestè consequitur Celestium nunquam confessum esse necessitatem ulterioris gratiae interioris, nempe gratiae inspirationis, liberum arbitrium immediatè afficientis, illudque liberantis, fanantis, corroborantis: Nam ut de Celestii opusculis interim taceam, vel libellis ejus, inquit S. Doctor cap. eodem, quos iudiciis Ecclesiasticis allegavit, quae vobis omnia, cum aliis, quas necessarias existimavimus, litteris mittenda curavimus, quibus omnibus diligenter inspectis, possitis advertere, non eum ponere gratiam Dei, qua juvatur vel ad declinandum à malo, vel ad faciendum bonum, præter naturale arbitrium voluntatis, nisi in lege atque doctrina; ita ut ipsas quoque orationes ad hoc asserat necessarias, ut ostendatur homini, quid concupiscat & diligat, &c.

Prob. 3. Resp. De reliquis Pelagianis, ex S. Augustini lib. de hæ. 88. ubi de illis S. Doctor affirmat, 1. adde inimicos esse gratiae inspirationis, ut non vereantur asserere, hominem sine illa, omnia mandata divina implere posse: Hi Dei gratia, inquit, qua diffunditur charitas in cordibus nostris, ut fides per dilectionem operetur, in tantum inimici sunt, ut sine hac posse hominem credant facere omnia divina mandata. 2. Gratiam illam, sine qua nihil boni possumus constituere in libero arbitrio, adjuto à Deo per legem & doctrinam, modò scilicet forinsecus propositam, modò etiam intrinsecus opera Spiritus sancti revelatam; non verò per aliquam aliam gratiam, qua à Spiritu sancto arbitrii libertas corroboratur ad faciendum bonum, quod innoscitur per legem & doctrinam sive externam sive internam propositionem: Illam verò gratiam Dei, inquit, sine qua nihil possumus facere, non esse dicunt, nisi in libero arbitrio, quod nullis suis præcedentibus meritis, ab illo accepit nostra natura, ad hoc tantum ipso adjuvante per suam legem atque doctrinam, ut discamus quae facere, & quae sperare debeamus; non autem ad hoc per donum Spiritus sancti, ut quae didicerimus esse facienda, faciamus.

Ex his autem concludit S. Augustinus, Pelagianos admittere quidem gratiam illustrationis, sed inspirationis gratiam rejicere: Ac per hoc, inquit, divinitus nobis dari scientiam confitentur, qua ignorantia pellitur. Charitatem autem dari negant, qua pietas vivitur. Hoc est, confitentur quidem Deum pellere ignorantiam, interius illustrando mentem, nobisque interna illa mentis illustratione ostendendo, quae facere, quae sperare debeamus: at negant Deum ulterius & interius liberum voluntatis arbitrium ad pietatem vivendum adjuvare, infundendo indeliberatum Dei vel alterius boni salutaris amorem, sine quo tamen in præsentis naturae lapide statu sanctè pietate vivere non possumus. Quae verba peremptoria sunt, & evidenter ostendunt, fictitium esse statum illum, in

quo dicit Jansenius Pelagianos tandem confessos esse internam gratiam voluntatis & operis.

Obj. 1. Verba Pelagii relata à S. Augustino lib. de gratia Christi cap. 10. Operatur, inquit Pelagius, in nobis velle quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, mutorum more animalium tantummodo presentia diligentes, futurae gloriae magnitudine & premiorum pollicitatione succendit, dum revelatione sapientiae in desiderium Dei stupentem suscitatur voluntatem, dum nobis... suadet omne quod bonum est. Quibus verbis Pelagius satis clarè non solum gratiam intellectus, sed etiam gratiam voluntatis exprimit. Resp. Hoc negando. Nam si Pelagius hic exprimit gratiam voluntatis, certè cum ait Deum in desiderium sui stupentem suscitatur voluntatem. At hoc non: dicit enim tantum, Deum in desiderium sui stupentem suscitatur voluntatem, revelando sapientiam; sicut tantum dicit Deum operari in nobis velle quod bonum est, velle quod sanctum est, premiorum & futurae gloriae magnitudinem nobis proponendo, quod pertinet ad solam gratiam intellectus.

Itaque manifestè Pelagius hoc loco non aliam gratiam prædicat, quam gratiam legis atque doctrinae, & gratiam intellectus, quae meritò ad gratiam legis atque doctrinae revocatur: nam interna illuminatio præcisè docet, quod etiam faciunt lex & doctrina forinsecus proposita. Sic respondet S. Augustinus cap. laudato: nam post verba Pelagii relata, continuo prosequitur in hunc modum: Quid manifestius, nihil aliud eum dicere gratiam, quae Deus in nobis operatur velle quod bonum est, quam legem atque doctrinam? In lege namque & doctrina sanctorum Scripturarum, futura gloria atque premiorum promittitur magnitudo. Ad doctrinam pertinet etiam, quod sapientia revelatur. Ad doctrinam pertinet, cum suadet omne quod bonum est.

Obj. 2. S. Augustinus lib. de grat. Chr. cap. 29. refert hæc Pelagii verba: Ut quod per liberum homines facere iubentur arbitrium, facilius implere possint per gratiam. Et subdit: Tolle facilius, & non solum plenus, verum etiam sanus est sensus, si ita dicatur, ut quod per liberum facere iubentur homines arbitrium, possint implere per gratiam. Quibus verbis apertè significat S. Doctor Pelagium tunc rectè sensisse circa existentiam & naturam gratiae, & in eo tantum errasse, quòd veller veram & internam Christi gratiam necessariam non esse, nisi ad facilius implenda mandata divina.

Resp. Neg. S. Doctorem verbis suis hoc significare. Nam cap. sequenti expresse declarat se nusquam in Pelagii scriptis invenisse, eum veram Christi gratiam, quomodo confitenda est, confiteri; eò quòd, ut apertè colligitur ex iis, quae de Celestio subjicit, nusquam invenit eum aliam præter naturale arbitrium voluntatis gratiam agnoscere, quam legem atque doctrinam. Et cap. 31. expendens verba libelli, quem Romam miserat Pelagius ad Innocentium Pontificem, & in quo profitebatur, ad peccandum & ad non peccandum integrum liberum arbitrium habere nos, quod in omnibus bonis operibus divino semper adjuvatur auxilio; observat hæc postrema Pelagii verba ambigua esse, eumque posse, sicut solet, velle intelligi legem atque doctrinam per divinum illud adiutorium, quo profitebatur nos in omnibus bonis operibus adjuvari. Minimè igitur S. Doctor, Pelagium rectè circa existentiam & naturam gratiae sentire, exploratum erat, cum agebat: Tolle facilius, & non solum, &c.

Itaque cum S. Augustinus dicit: Tolle facilius, &c. ad summum dici potest supponere, Pelagium ibi per gratiam intelligere internam & supernaturalem illustrationem. Quo supposito, etiam in ore Pelagii catholica est hæc propositio: Ut quod per liberum facere iubentur homines arbitrium, possint implere per gratiam. Tunc enim tantum dicitur, internam & supernaturalem illustrationem esse absolutè necessariam ad implenda mandata divina, quod verum est & catholicum.

Dixi

Dixi autem, ad summum: quia rectè dici potest S. Augustinum, cum ait: *Tolle facilius, &c.* non aliud velle, quam propositionem hanc: *Ut quod per liberum facere iubetur homines arbitrium, possint implere per gratiam*, catholicam esse in sensu obvio, quidquid tandem nomine gratiæ intelligat Pelagius, quod hoc loco non expendit Augustinus: neque enim errores omnes simul confutari possunt; atque hic refutare intendit S. Doctor unum hunc ex Pelagii erroribus, nempe quòd gratia non requiratur, nisi ad operandum facilius.

Obj. 3. Estò quòd Pelagius & Celestius nunquam admiserint gratiam voluntatis & actionis: at saltem admiserunt Julianus, & alii posteriores Pelagiani, Neg. Prob. S. Augustinus libro de gratia & libero arbitrio c. 14. asserit Pelagianos fuisse tandem convictos, neque scientiam divinæ legis, neque naturam, neque peccatorum remissionem esse illam gratiam, quæ per Jesum Christum datur. Et ferm. 13. de verbis Apostoli, gratias agit Deo, quòd Pelagiani coarctati sint tandem aliquando gratiam confiteri.

Resp. S. Augustinus his locis tam loqui de Pelagio & Celestio, quam de Juliano & aliis Pelagianis, & de illis omnibus solum affirmare, quòd tandem, præter liberum arbitrium, remissionem peccatorum, & gratiam externam legis, doctrinæ, & exemplorum Christi, aliam internam & supernaturalem gratiam confessi sint, quam dicimus fuisse gratiam intellectus, seu internam & supernaturalem illustrationem, qua Deus, ut aiebat Pelagius, revelando sapientiam in desiderium Dei stupentem suscitavit voluntatem, & suadet nobis omne quod bonum est; atque ita in nobis operatur velle quod bonum est, velle quod sanctum est.

Audiamus S. Doctorem: *Cum fuerint*, inquit, *convicti non defensores, sed inflatores & precipitatores liberi arbitrii, quia neque scientia divinæ legis, neque natura, neque sola remissio peccatorum est illa gratia, quæ per Jesum Christum Dominum nostrum datur; sed ipsa facit, ut lex impleatur, ut natura liberetur, ne peccatum dominetur ... ad hoc se convertunt, ut quocumque modo conentur ostendere gratiam Dei secundum merita nostra dari.* Horum autem verborum hic manifestè sensus est: Cum convicti fuerint Pelagiani, præter scientiam divinæ legis, extrinsecis comparatam, præter naturam, & remissionem peccatorum, confitentem esse interiorem gratiam; ad hoc se convertunt, ut conentur ostendere eam secundum merita nostra dari. Non ergo aliud hoc loco dicit S. Doctor, quam Pelagianos argumentorum pondere aliquando coactos esse, ad confitentem interiorem gratiam, & confessos esse cum hac corruptela; quòd assererent eam dari secundum merita nostra; & hoc etiam nos post S. Doctorem dicimus. Cum autem pro præsentis statui duplex sit gratia interior, una scilicet quæ se tenet ex parte intellectus, nempe illustratio, & altera quæ se tenet ex parte voluntatis, nempe inspiratio; ex ejusdem S. Doctoris doctrina addimus, Pelagianos eatenus interiorem gratiam aliquando confessos esse, quatenus se tenet ex parte intellectus; adeoque solam illustrationem aliquando, nunquam verò inspirationem confessos esse. Quòd si tamen tandem aliquando ipsam quoque inspirationem confessi esse dici possunt, certè in hac confessione inconstantes prorsus fuere, & ad suum de viribus arbitrii errorem redire.

Certè si Pelagiani tunc, cum S. Augustinus librum hunc de grat. & lib. arbitrio scribebat, Catholicorum argumentis convicti, interiorem non solum illustrationis, sed etiam inspirationis gratiam confitebantur, quomodo ejusdem libri c. 11. verè sic potuit loqui: *Quid est ergo, quòd vanissimi homines, & perverissimi Pelagiani legem dicunt esse gratiam, qua juvatur ad non peccandum? Quid necesse fuit in eodem libro tot capitulis ostendere gratiam illam, quæ per Jesum Christum nobis datur, quæ facit ut lex impleatur, ut*

Simonnet Theol. Tom. II.

natura liberetur, ne peccatum dominetur, neque in natura, seu libertate arbitrii, neque in lege & doctrina, neque in remissione peccatorum consistere? Non ergo tunc à suo circa existentiam & essentiam gratiæ recesserant errore Pelagiani, nisi quòd interiorem illuminationis gratiam, cum duplici tamen corruptela superius exposita admitterent, repudiata pertinaciter inspirationis gratia.

Dices. Julianus in epistola, quam miserat Romanis, sic loquebatur: *Hominem Dei opus defendimus ... Et in bono opere à Dei gratia semper adjuvari, in malo vero diaboli suggestionibus incitari.* Hæc autem Juliani verba sic suggillat S. Augustinus lib. 1. ad Bonifacium c. 19. *Cur non dixisti hominem Dei gratia in bonum opus excitari, sicut dixisti in malum diaboli suggestionibus incitari? Sed dixisti in bono opere à Dei gratia semper adjuvari, tanquam sua voluntate, nulla Dei gratia bonum opus aggressus, in ipso jam opere divinitus adjuvetur, pro meritis videlicet voluntatis bonæ, ut reddatur debita gratia, non donetur indebita.* Quibus verbis S. Doctor Julianum reprehendens tantum, quòd gratiam, qua in omni opere bono adjuvatur à Deo, videatur pedissequam voluntatis facere, manifestè supponit eum rectè sentire de natura ipsius gratiæ, adeoque nomine gratiæ, qua adjuvatur à Deo in omni opere bono, non solum illustrationem internam, sed etiam internam inspirationem intelligere. Resp. Hoc esse falsum. Itaque S. Augustinus non supponit hic Julianum rectè sentire de natura gratiæ, sed solum non inquiri, quid nomine gratiæ intelligat, & accepto nomine gratiæ in sensu Catholicis obvio, reprehendit verba Juliani, quibus videtur insinuare, quòd voluntas se sola incipiat in opere salutari, & incipiendo, gratiam, qua juvetur ad perficiendum opus, promereatur.

Porro per gratiam illam, qua hominem in omni opere bono adjuvari dicebat Julianus in præfata epistola, non gratiam inspirationis, qua voluntas immediate excitatur & corroboratur, sed ad summum gratiam internæ & supernaturalis illuminationis, voluntatem adjuvantem, non vires ad agendum subministrando, sed quid agendum esset ostendendo, intelligebat. Quod demonstratur ex libro de hæres. quem paulò ante obitum, & operum suorum fere postremum, post absolutos Retractationum libros scripsit S. Augustinus, ut ipsemet testatur in epistola huic libro præfixa. In eo autem num. 88. clarè distinguit gratiam illustrationis à gratia inspirationis; & à Pelagianis primam admitti, secundam verò rejici, expressè affirmat: *Divinitus, inquit, dari nobis scientiam continentur, qua ignorantia pellitur (en gratia illustrationis); charitatem autem dari negant, qua pie vivitur (en gratia inspirationis) ut scilicet cum sit Dei donum scientia, quæ sine charitate inflat, non sit Dei donum ipsa charitas, quæ ut scientia non inflat, edificat.*

ARTICULUS III.

De quo gratia adiutorio controversia fuerit Catholicos inter & Pelagianos.

§. I.

Exponitur doctrina Jansenii circa præsentem controversiam.

EX sententia Pelagii tria distinguunt in homine, in ordine ad opera salutaria, possibilitatem scilicet, voluntatem seu actum volendi, & actionem, atque asserentis in operibus salutaribus solam possibilitatem adjuvari à Deo, non voluntatem, aut actionem, Jansenius lib. 5. de hæresi Pelagiana occasionem sumit comminiscendi adiutorium duplex, unum videlicet, quod vocat adiutorium possibilitatis, & alterum, quod vocat adiutorium voluntatis & actionis.

Per adiutorium autem possibilitatis intelligit illud

A 4

omne